Quelle: http://manuscripta.at/?ID=887
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

29 Cubi et columpne orthogonaliter equilatere datorum laterum capacitatem invenire. Sit cubus seu columpna orthogonaliter equilatera a d c f cuius basis orthogonaliter quadrangula nota per 13am huius d e f g altitudo vero e a. Duc tunc aream basis d e f g in altitudinem huiusmodi corporis scilicet in e a et producta moles seu capacitas eius erit.



30 Solidi almuhayari seu sibi similis datorum laterum et angulorum aream invenire. Primo duarum superficierum corporis predicti almuhayaratarum quere aream per 12 huius. Deinde aliarum superficierum quere aream per 13 huius et eas omnes simul iunge et habebis intentum. Capacitatem autem eius seu molem vel crassitudinem sumes sic: postquam inveneris eius aream ut predictum, duc aream basis eius in altitudinem eius et productum est crassitudo eius etc.



31 Triangulo equilatero dato cum tribus circulis equalibus se ipsos tangentibus inscripti aream invenire. Sint 3 dati circuli d l k cuius centrum g, e l h cuius centrum f, et h k n cuius centrum p, equales se ipsos in punctis h l k tangentes. Quibus circumscribatur triangulus equilaterus a b c eos in punctis d e, q r, n m secundum sua latera contingens. Cui triangulo circumscribatur circulus a b c. Dico quod si noti fuerint circuli predicti, nota erit eis et trianguli eis circumscriptus. Unde manifesta erit causa ex hoc